

cunt: sed ejusmodi orationum Emblematis, vel cupiunt fortiores, vel severiores videri.

Memento igitur ô homo, ne unquam blasphemés: Nam audit voces tuas Deus laudandus in secula: arbitri assunt Angeli boni, Deum sine intermissione colaudantes: defert & accusat blasphemias tuas, ipse contremiscens Satan: Te verò blasphemantem & illum contremiscentem, unus æternis suppliciis olim torquet infernus.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Libertertius.

DE HOMINE.

Cùm tertius Liber de Homine agat: quàmnam commodissimâ Methodo explicari posse arbitraris, eos locos Theologicos, qui ipsum hominem concernunt?

SI consideretur Homo, secundum diversas conditiones ac status, in quibus ille à prima creatione usq; ad beatam & æternam glorificationem deprehenditur.

Quot sunt igitur status hominis?

Quatuor.

1. Status Integritatis ante lapsum.
2. Status Peccati post lapsum.
3. Status Restorationis per Christum.
4. Status post mortem.

D 2 STA